

# DE BORROMAEORUM FLORIBUS AD BARBERINAS APES

## ODE

ALES ò Magistra Mundi,  
Florum Virago pasta medullis,  
Nobile telum oris, Regni admirabile sceptrum,  
Concede tantisper rogata,  
Concede solo vernantis agri  
Indicat Aonia quem tibi Flora manu.

Ille floreis labellis

Teli beantis vulnera poscit  
Aurea, ad aërei cudenda opobalsama succi,  
Et mellea nutrimenta mundi;  
Populus florum tibi lectus adest,  
Haec lege, quae sacro germina rore madent.

Semper alma, semper halans

Hic terra fundit veris honores,  
Et nata ornandis Pestana hic purpura templis  
Ardore fulget principali,  
Rosa divini vasculum odoris,  
Cui prope adorata lilia cana nive.

Flos olentis hic Anethi,

Et fuave flammantes Hyacinti,  
Narcissusque, crocumque, immortalesque Amaranthi,

Calthae, Genistae nec Papaver  
Cereale deest, humiles Violaë,  
Mollis Amaracus, & Lilia purpurea.

Ecquis esset eloquendi

Finis, per omnes si statuum ire?  
Sat mihi pro cunctis tu nunc rē, & nomine florum  
Flos M A X I M E, in quem Phaebus ipse  
Conijcit oculos, blandusque fovet,  
Cuius & occultis viribus ora ciet.

O ferax solum, o beata

Vis B O R R O M A E I fertilis horti,  
Ver ubi perpetuum, & florum irrequieta propago.  
Cerne hunc Corymbo prodeuntem,  
Quem Phoebus amat, lauroque tegit;  
Purpureus, Calathum cum cito pandet erit.

*Io. Baptista Arconatus Acad. Anim.*